

## **Dissertatio medica, inauguralis, de affectibus animi / [Daniel Bryan].**

### **Contributors**

Bryan, Daniel, 1755?-1823.  
University of Edinburgh.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1782.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vkjumfbm>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSE R TAT I O M E D I C A,

I N A U G U R A L I S,

D E

A F F E C T I B U S A N I M I.

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U C H A R A L I S

A F F E C T I B U S A N I M I

G U A M

A N N U B R U N T E S U M M E S U M M I N E

E X A U G U S T I N E R E S U L T I O N I M P R O V I S I O N A

O. C U T T E L W I R R O B E R T S O N , S . S . T . P .

A C A D E M I C A E D U C A T I O N I O N I D S C I P T A

A M P L I F I C A T I O N I S C I P T A C A D E M I C O N C E P T U M

E N H O P E R I S M E D I C A M E D I C A M E D I C A

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

M I C R O S C O P I C A M I C R O S C O P I C A M I C R O S C O P I C A

R E S U L T I O N I C O N F E R M A N D I A

E T A C H I C O M M E M O R Y I P P I C T

A N I M I T I P U S A N I M I

H I B E R N I S , A . H . T R I U . C O T T , D U S

C O N F E R M A N D I A

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

Q U A N T I T A T I V E

DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,  
DE  
9.  
AFFECTIBUS ANIMI.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit


DANIEL BRYAN,  
HIBERNUS, A. B. TRIN. COLL. DUB.

" — Timor, ira, —  
" Gaudia, — nostri est farrago libelli." Juv. SAT. I.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.



Who celebrated,

# NATHANIEL BARRY, M.D.

Edmund Parsonage

Medical Dissertation delivered before the Boston Medical Society

On October 11, 1781.

On the life and manners of Nathaniel Barry, M.D.

Edited from his journal, & other documents.

With a portrait of the author.

Op Morris, in the Strand, London. Printed for

John Dodsley, Bookseller.

Price, One Shilling and Sixpence.

London: Printed for the Author.

DANIEL BARRY.

Viro celeberrimo,

NATHANIELI BARRY, M. D.

Equiti Baronetto,

Medicinam Dublinii successu cum prosperrimo exercenti,

Ob confilia,

Quae sibi Medicinae studere incipienti dedit,

Et unde summum' commodum semper deduxit,

Excellentissima;

Et

Ob Matrem, morbo gravissimo laborantem,

Ope ejus salutifera restitutam,

Hanc Dissertationem Inauguralem,

Ea, qua par est, observantia,

D. D. cq.

DANIEL BRYAN.

D<sup>r</sup> Garrison,  
with best Compliments from  
his very Humble Servant,

Dan'l Bryan.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

AFFECTIBUS ANIMI.

PROOEMIUM.

**E**X argumentis numerosissimis, quae scribere volenti suppeditat medicina longe lateque patens, nullum, me judice, medici attentionem meliore jure sibi vindicat, quam animi affectus. Cum hi autem in morbis faciendis, iisdemve depellendis, tantum manifestissime possint, non diu potui dubitare, quin eos in dissertatiuncula inaugurali exequendos susciperem. Ad argumentum

gumentum tam grave rite illustrandum, ingenii vires quam parum sufficient, haud quaquam ignoro. Hoc in causa fuit, cur parum abfuerit, quin incepto ex toto desisterim. Cum vero aliquid, hac Academia celeberrima jubente, in lucem edatur necesse sit, cumque adhuc rudium et inexperitorum conaminibus a doctis non modo non invideatur, verum etiam faveatur, sensa super affectibus animi mea eruditorum examini subjicere, non sine trepidatione vero summa, tandem mecum decrevi. Quo hoc argumentum aliqua ex parte illustrem,

I. Quosnam in corpus humanum effectus edant,

II. Quatenus in morbis inferendis vel tollendis valeant, considerabo.

Haec materiam exequendi ratio limitibus nimis angustis circumscripta esse nonnullis, et non sine causa gravi, forsitan videbitur. Hoc mihi vero candor non invitus remittet, si paulisper reputabitur, quam difficilis sit, quantisque tenebris implicitur. Diu versavi, quid ferre recusarent, quid valerent

supplementum

B

humeri,

humeri, et memet non longius progredi posse sum compertus.

I. *De Effectibus, quos Affectus Animi in Corpus humanum edunt.*

Antequam effectus, quos in corpus edunt animi affectus insignes et mirandos, exequi incipio, non alienum esse videtur de natura eorum, modoque, quo progenerantur, paucis differere. Affectus sunt animi facultates vel potestates, quae, limitibus idoneis circumscriptae vel rite coercitae, essentiam, si ita loqui liceat, vitae constituunt; quae vero nimiae violentaeve evadentes non tantum vim ejus imminuunt, sed eam ipsam tandem ex toto extinguunt. Vis vel agitatio, quae ab affectibus etiam lenissimis vix potest disjungi, ab Opifice rerum Omnipotente, ut Meadius illustris opinatur, haud dubie comparata est, ut quodam ad malum vitandum, et ad bonum quaerendum et amplectendum,

amplectendum, impetu ferremur \*. Voluptas et dolor cum causis suis, bono et malo, ut Lockius celeberrimus jure notat, cardines sunt, in quibus affectus humani vertuntur †. Ita si quod sit, quod gaudio vel oblectatione mortales afficit, affectum qui amor appellatur; si vero dolore et molestia, odium pro certo movebit. Definitiones autem quorundam ex affectibus animi praecipuis, quos eleganter depinxit, videque designavit, idem philosophus primarius, suis verbis accuratis tradendas curabo: “Joy is a delight of the mind from the consideration of the present, or assured approaching possession of a good. Sorrow is uneasiness in the mind, upon the thought of a good lost, which might have been enjoyed longer, or the sense of a present evil. Hope is that pleasure in the mind, which every one finds in himself upon the thought of a probable future enjoyment of a thing, which is apt to delight him.

\* Monita et Praecepta Medica, cap. 18.

† Locke's Essay, book 2. chap. 20.

Fear is an uneasiness of the mind, upon the thought of future evil likely to befall us. Despair is the thought of the unattainableness of any good, which works differently in mens minds, sometimes producing uneasiness or pain, sometimes rest and indolency. Anger is uneasiness, or discomposure of the mind, upon the receipt of any injury, with a present purpose of revenge. Envy is an uneasiness of mind, caused by the consideration of a good we desire obtained by one we think should not have had it before us \*."

Naturam affectuum et ortum, quatenus huic dissertatione nculae necessarium esse videtur, ex-ecutus, nunc ad inceptum, effectus, viz; quos in corpus edunt, redeo. Quantum hos spec-tat, quod attentionem nostram in se primum convertit, id est, mutatio miranda quam actio eorum vultui potest inferre. Haec saepe adeo potens est, ut intima animi secreta vultu quam maxime invitorum aperte et mani-feste prodat. Quos motus in vultu mo-

\* Locke, ibid.

vent animi affectus, ii hoc modo a Gregorio illustri pulcherrime describuntur.<sup>1q</sup> Animi imprimis affectus, ira, gaudium, moeror, metus, amor, odium, certos motus in musculis excitant, praesertim vultus; quo fit, ut singuli sese in ore exprimant, plus quam Phidiaca arte; diuturni et graves, et saepe repetiti, fortius et constantius depinguuntur, difficillime delendi; hinc saepe iracundiae imago, ubi nulla ira est; hoc fundamento nititur ars physiognomonis.\*<sup>2</sup>

Vita progrediente, mutationes, quas affectus faciei inferre consuerunt, modo fere et ordine sequente se habent. In infantibus, affectibus animi, quasi torpidis adhuc et dormientibus, nihil praeter vultum pulchrum, nihilque indicantem, notatur; in juventa nihil parumve mutationis, si aliquid paulo vividius et significatius excipias, semet ostendit; in iis, qui aetatem virilem attigerunt, lineamenta per affectus evidenter signari incipiunt; et in senibus per eos ex toto quasi formari videntur. Hinc, ut

illustris

\* Conspect. Med. Theoret. parag. 341.

illustris Gregorius notat, ars Physiognomonis proficiscitur, quodque verum et certum in ea toties incidere dicitur, id non parum exemplo Socratis celebri firmari videtur.

Partes vultus singulares, in quas affectus agunt, et species, quae eo excitantur, diversae a docto et sagace Hallero hunc in modum eleganter satisque breviter verbis sunt depictae.\* Amor, admiratio, adgnoscuntur fronte sursum ducta, exorrecta, oculis elevatis, unaque palpebris. Occipitalis et rectus superior oculi agit, et palpebrae levator. Curiositas, admiratio dicentis oratoris, os una aperit, ut aër sonorus ad tubam posset venire. Laetitia et risus oculos habent pene clausos, angulum oris sursum ductum, cutem narium corrugatam, os distractum per buccinatorios et risorios musculos. In multis hominibus, fovea tunc in gena nascitur, et gratiam addit, inter, puto, tumentes fasciculos zygomaticos. In fletu, et tristi affectu, labium inferius detrahitur, ut facies longior videatur; anguli labiorum

\* Element. Physiolog. tom. 5. pag. 590.

labiorum distrahitur a triangularibus; oculus clauditur, et pupilla se sub palpebram superiorem recipit. In ira et odio labium inferius super superiorius elevatur; frons descendit adtracta, et rugis caperatur. Contemptus inaequalem habet vultum, ut alter oculus pene claudatur, alter despiciat. In terrore, musculi validissime os et oculos aperiunt, manusque elevantur."

Quam potestatem in vocem affectus habent, ea neminem potest latere. Igitur non opus est, ut super ea multis differam. Hoc tantum silentio non praetereundum, sonum tonumve singularem unicuique fere affectui esse proprium, et animalia etiam bruta hunc non ignorare. Canis enim dominum irritum esse e voce momento discit, et fertur, leone rugiente, reliqua animalia intremere.

Quod proxime considerandum est, effectus nempe quos in organa vitalia, musculosque motui involuntario inservientes, edunt affectus, multo majoris, quantum medicum spectat, momenti esse videtur, quam quodlibet jam comprehensum. Animi affectus,

quod

quod vim cerebri nervosam minuere vel augere existimantur, in excitantes et deprimentes, non sine causa gravi, fuerunt divisi. Quinetiam, ut celebris Gregorius notat, mixti, et quasi ancipites sunt, modo ad unum, modo ad alterum genus relegandi \*. Paucos igitur, quos vero ex affectibus praecipuos esse credimus, horum generum proprios feligemus, ut sub his investigemus quales effectus in organa vitalia, musculosque motui involuntario destinatos, edant. Quos praecipuos esse opinamur, ii sex numero sunt, et sequuntur, ira, nempe, amor, gaudium, spes, metus, moeror. De his separatim, et ordine quo collocantur, agetur.

Ex affectibus excitantibus, ira in primis esse potens fuit existimata. Systemata nervosum et vasculosum violenter agitat, circutum † sanguinis accelerans, et titubantium linguae cum palpitatione saepe faciens. Vi-  
res

\* Conspect. Med. Theoret. parag. 342.

† Viribus in moribundo auctis, Schwenke haematol. p. 20. Kaau impet. p. 429. ad usque 504. Floyer Pulsewarth, n. 91. Hal. Elem. Phys. tom. v. p. 586.

res immensae, quas irati plerumque habere reperiuntur, a circuitu sanguinis adauicto, et singulari impetu ejusdem caput versus facta, forsitan pendent. Si pallor pro rubore faciei, substante ira, nonnunquam incidat, non aliter, quam Whyttius doctissimus, in suo libro de morbis nervosis, fecit, per spasmum nempe, continuamve arteriolarum faciei contractionem, qua ingressui sanguinis aliqua ex parte obseruitur, explicandus <sup>\*</sup>. Ab actione irae profecta sunt apoplexiae †, haemorrhagiae ‡, incrementum cordis mi-

randum

\* Whytt's Nervous Disorders, p. 64.

† Becker Cultrivorum. Wenceslaus Imp. &c. Wier de ira, p. 795. Wolf, L. ii. n. 5. Asphyxia Malpigh. posth. p. 45. Paralysis lateris alterius, &c. Hal. mod. citat. p. 587.

‡ Comm. Boerhaav. tom. ii. p. 451, 452. Hildanus Epist. i. Pechlin, iii. 25. Menses inde subito nati. Lallamant mecan des pass. p. 168. Haemorrhagia uteri Rudolphi. Narium in Attila. Sudor sanguinis Rasczynski, t. ii. p. 456. Sanguis in puerो per nos, oculos, narines, aures, anum, pudendum, incitatus, a nutricis vehementer ira; Albin. pravit. sang. p. 32. Idem, S. Miss. n. 11. Haller, ibid.

randum\*, et ruptae cicatrices†. Omnes corporis humani humores ab hoc affectu animi affici videntur; nullus vero magis, quam bilis, ut e potestate, quam in eam habere narratur, mirabili constare videtur‡. Ira, licet rationem qua hoc praestiterit nequeam exponere, nonnunquam, uti fertur, impotentiam loquendi ||, paralyсин §, podagram\*\* depulit. Quinetiam movit epilepsiam††, volvulum funestum ‡‡, febrem concitatissimam §§, et mortem repentinam ||||.

## C. Amor,

\* Hatvei, Diff. iii. p. 154. Haller, ibid.

† Hildan. Epist. i. Haller, ibid.

‡ Pechlin, iii. n. 25.

|| Act. Hafn. i. n. 71. Hist. de l'Acad. 1738, hist. 5. Haller, ibid.

§ Wolf, L. ii. c. 5. Marcell. Donat. p. 640. Haller, ibid.

\*\* Bartholin, ibid. Pechlin, L. iii. Obs. 26. Kruy singh de Odontalg. taft. sanand. Heister ad Hildanum. Haller, ibid.

†† G. V. Swieten, T. iii. p. 393. Haller, ibid.

‡‡ Tulp. ii. c. 41. Haller, ibid.

§§ Falconet Princip. p. 19. Ea vigesima hora funesta fuit. Haller, ibid.

|||| Zacut. Prax. Med. H. i. Obs. 147. Turner, Force of Imagin. furth. consid. p. 43. Haller, ibid.

Amor, qui, cum quod exoptat attingit, excitat, et, cum voti non compos evadit, animum deprimit et contristat, exemplum affectuum mixtorum et quasi ancipitum, ut eos apte nominavit illustris Gregorius, manifestum et perspicuum nobis suppeditat. Aliis affectibus frequenter admistus, effectibus suis magis, quam quilibet aliis, variare confuevit. Quod concupiscit adeptus aut adepturus motus vitales potenter excitat, novum cordi vigorem conciliat, et sensum caloris et laetitiae in totum sistema animale diffundit. Nonnunquam vero, quod quidem saepe incidit, praesertim si ejus, quod appetivit, potiri adhuc non potuit, aliquantum timoris sibi admistum habet, quod pulsus arteriarum inaequales potest efficere. Hinc, ut illustris Hallerus testatur, adesse fuit repertus. “ Ita certe Struthius, olimque Antiochi amor, ex pulsu detectus fuisse legitur \*.” Id, cuius desiderio flagrat, adipisci non valens animum magnopere contristat, languorem, febrem lentam.

\* Element. Physiolog. Tom. 5. pag. 582.

lentam nervosam, et morbum, qui catalepsis stuporve vigilans appellatur, mirabilem faciens. Exemplum hujus insigne memoriae a Tulpio proditur. Juvenis, cui mulier amata nubere recusaverat, catalepsi subito correptus est, adeo ut totum diem eadem in positura, et ex toto immotus cathedrae insederit, et nihil sibi circumdatum visus fuerit notare. Quinetiam corpus universum, aequae rigidum ac si congelatum fuisset, evasit. Non citius tamen ab amico, qui vocem uti exaudiretur, sustulerat, accepferat, se brevi omnium votorum fore compotem, quam e sopore profundo excitatus a sede profiluit, et momento restitutus est\*.

Quantum excitationem spectat, gaudium, ne ira quidem excepta, quemlibet ex affectionibus animi humani violentia excedere videtur. Si tamen non immodicum sit, effectus ejus semper saluti sunt, et systemata nervosum sanguiferumque non parum commodi a potestate ejus stimulante deducere videntur. Sensus ejus humanae naturae re-

vera

\* Observ. Med. Lib. i. cap. 22.

vera adeo gratus est, ut fere semper sine ullo metu ei nos totos dedamus. Ratione etiam coercitum est affectus admodum activus; vinculis hujus vero solutum pro rata ratione violentius sit, et idcirco effectus funestissimi oriantur oportet. Huic opinioni fidem conciliat syncope a gaudio subito nimioque saepe oriens. Idem ultius firmant mortis exempla. Horum pauca proferam. Livius duarum foeminafum meminit, quas filiorum, quos inodecisis esse fuerant suspicatae, a praelio Trasimeno sospitum reversorum conspectus insperatus exanimavit. Quinetiam historia memoriae tradit, Sophoclem, Poetarum Tragicorum Graecorum victorem renunciatum, diem supremum repente obiisse; et Diagoram quoque, dum tres filios, qui eodem die Ludis in Olympicis praemia fuerunt consecuti, amplecteretur, expirasse.

Spes, idoneis limitibus circumscripta, haud dubie ex omnibus affectibus excitantibus est maxime salutaris. Actione sua cerebrum et sistema nervosum quasi reficit, potestatis nervosae

vosae fluxum promovens, vimque ejusdem in omnes partes, in quas diffunditur, augens. Vigoremo cordis singularē comparat, in circuitum sanguinis et secretionem liberam faciens. Eam facilitatem motuum a voluntate pendentium et alacritatem, si tale vocabulum hoc sensu liceat adhibere, progenerat, quas a conditione corporis ex toto fana et integra nunquam disjungi comperimus. Appetitum et concoctionem juvat, et omnino alio remedio propemodum melior, ut corpus morbis venientibus occurrat, eosdemque, ubi jam invaserunt, corrigat facit. Omnem faciei rugam a moerore ortam ex toto fugat, et exemplum effectuum suorum felicium ea serenitate et tranquillitate fere perpetua, qua omnia oris lineamenta ornare consuevit, mortalibus insigne suppeditat. Cardiacum denique, quod genus humanum novit, longe praestantissimum est, et mala, quibus haec vita laboriosa et fragilis objicitur, hac consolatione, " non si male nunc, sic et olim erit," numerosa efficaciter et repente levat.

Metus,

Metus, qui unus est ex affectibus potenter deprimentibus, quantum ad naturam et actionem attinet, spei propemodum contrarius. Vim cerebri et systematis nervosi debilitat, cor languidum reddit; viresque muscularis convellit. Hinc impotentia motus, et periculi, quod invasurum est, fugiendi oritur. Pallorem cutis et constrictionem facit, canitiem subitam gignit \*, impetum circuitus sanguinei adeo imminuit, ut, venis pertusis, sanguis nequeat effluere. Inflationem ructumque † progignit, perspirationem ‡ supprimit, et corpus admodum contagioni || opportunum

\* Boerhav. morb. nerv. p. 543. 544. Garmann. mirac. mort. p. 30. Hal. Elem. Phys. tom. v. p. 584.

† Pechlin. Haller, ibid.

‡ Robinson's Food and Discharg. p. 77. Sandor. i. n. 8. Hinc tumor universalis, Eph. Nat. Cur. vol. vii. n. 43. Haller, ibid.

|| Variolae Pechlin, 23. Pestis Kundmann Seltenheiten, p. 1147. 1148. Dec. 7. p. 47. Fritsch, vi. p. 540. Spindler, Obs. 35. Hoechstetter, Schreiber, p. 19. Morbi maligni ex imaginario pestilenti contagio, quod nullum erat, Kundmann Zustand, p. 224. 225. Inde Dysenteria Behrens diaet. p. 433. Haller, ibid.

opportunum efficit. Menstrua \* fluxumque lactis † sistit, verba enunciandi facultatem non raro tollit, et exemplum effectuum suorum in syncope faciendo non parum luculentum praebet. Memoriae traditur Verulamium nobilissimum, defectu solis conspecto, animo linqui consueuisse ‡. Hoc autem non aliunde, quam a metu subito incusso, potuit proficisci. Denique, mqrtem intulit metus. Pauculas excellentesissimi Halleri sententias, quae ad hoc plane pertinent, liceat citare. “ Mortuus est, eodem die, quo mors ei fuerat praefagita; ut metus esset pro morbo; mortuus est, cui judicium fatale erat pronunciatum; et cui in sepulchro pes esset retentus; et qui intuebatur tendines, sibi dissectos; et qui notas variolarum in se ipso conspexerat; et alii,

\* Ex terrae motu, Baglivus, p. 537. Spindler, Obs. 70. Haller, ibid.

† Morton, p. 460. La Motte, Obs. 38. Rivin. de Peste, p. 843. Haller, ibid.

‡ Pechlin. Observ. Med. lib. iii. obs. 23.

alii, ex aliis causis; etiam in cane, pex frageore tormenti, mors \*.”

Praeter dotes metus, quae modo sunt comprehensae, nocivas, alias possidet, quae tonicae sunt, et nonnunquam ad morbos depellendos multum contulerunt. Pauca hujusmodi exempla enarranda duco.

Maxime autem insigne est, quod in Nofocomio Haerlemensi, ubi pauperculi publice aluntur et curantur, tempore doctissimi Boerhaavii incidit, quodque modo sequente a filio fratris posteris proditur: “In domo, qua pauperes ex eleemosynis publice aluntur in civitate Harlemensi, perterrita puella incidit in morbum nervorum convulsivum, certis paroxysmis reducem: Adstantium et adjuvantium in eam intenta itidem corripitur eodem morbo: Postridie altera, deinde tertia, quarta, imo fere omnes, tam pueri quam puellae: Status miserrimus! Corripitur hic, corripitur illa, imo fere omnes eodem tempore, dum unum alter aspicit, prosternuntur. Medici solertes frustra adhibent

\* Element. Physiolog. tom. v. pag. 585.

hibent quae dictat ars, saluberrima antiepileptica medicamina. \* Confugitur tandem ad Boerhaavium, qui, misertus infelicis pauperum sortis, petuit Harleum, et dum rem examinat, invadente in unum paroxysmo, vedit convelli plures specie epilepsiae. Datis incassum optimis remediis a medicis sapientibus, et ad imaginationem ex uno in alterum traducto morbo, rite perpenfis, hanc avertendo, credidit posse curam obtineri, et obtinuit. Scilicet, praemonitis ephoris, praesentibus omnibus, jussit per cameram disponi fornaces portatiles, prunis ardentiibus instructas, atque iis imponi ferreos hamulos, ad certam figuram adaptatos; tum ita mandavit: Quia omnia frustra forent, se aliud nescire remedium, quam, ut qui primus, puer foret vel puella, infausto morbi paroxysmo arriperetur, locus quidam nudati brachii candente ferro ad os usque inurareretur; utque gravitate pollebat dicens, perterriti omnes ad crudele remedium, dum instare sentiunt paroxysmum, omni mentis intentione, et metu dolorificae

D. inustionis,

inunctionis, eidem resistunt fortioris oblatione ideae; et certe quantum valeat hic ab objecto animae intentae revulsio, docet epilepsia diversimode curata, ut quidem ipse terror eandem sustulerit, febris epidemica, quartana, ptyalismus, matrimonium, virga \*.”

Alterum potestatis metus tonicae exemplum, non minus conspicuum, in Nosocomio Regio Edinensi Culleno celeberrimo offendere contigit. Dum Professor illustris aegrotos in cubiculis clinicis decumbentes curabat, puer epilepsia laborans ab aliqua regionum Scotiae septentrionalium et montanarum parte Edinburgum adductus est, uti malo, quo conflictabatur, liberaretur. In nosocomium receptus medicamenta, quae promptissima in auxilium morbi visa, sumpfit; caeterum ex eo prorsus ante convaluit quam medicamenta ullos effectus salutares sensibus percipientes edere potuerunt. Hoc omnes, qui Professorem doctum eo tempore

\* Abr. Kaau Boerhaave, impet. faciens Hippocrati dictum, § 406.

pore audiebant, magnopere admirabantur. Causa vero salutis tam insperatae ingenium viri illustrissimi sagax non diu fugit. Brevi enim eos certiores fecit, morbum per timorem solum fuisse sublatum. Namque vulgus Scoticum montanum, praesertim juniores, exercitum Regium extimescunt, quod, ut ille acute notavit, in causa fuit, cur aegrotus milites in Nosocomio decumbentes et aspiciens, et exaudiens, malo tam subito et tam facile liberaretur.

Postremum, quanquam non minime insigne potestatis metus et tonicae et anti-spasmodicae exemplum, e libro Whyttii celebris excellentissimo super morbis nervosis exprometur. Verba ejus sequuntur : “ A girl, aged eight, in the beginning of September 1759, was seized with an alternate motion of the mazzeter and temporal muscles, for which no cause could be assigned. This motion exactly imitated the pulsation of the heart: Only those muscles were contracted and relaxed above 140 times in a minute, while the heart did not make above

90 strokes. Their contractions were all of equal strength, and the intervals between them were also equal. When the patient pressed the teeth of the lower jaw strongly against those of the upper one, by a voluntary contraction of the masseter and temporal muscles, their convulsive motions were much less remarkable; and when she pulled down the lower jaw as much as she could, and, by the continued action of its muscles, kept it in this situation, the masseter and temporal muscles were nowise convulsed. Before I saw this patient, she had been blistered upon the course of the affected muscles, which lessened their convulsive motions while the blistered parts continued to run, but no longer. I ordered plasters of the emplastrum antihystericum, with some opium, to be applied where the blisters had formerly been. These were kept on no longer than two days, during which time the convulsions were weaker, and less frequent, not being repeated above 50 or 60 times in a minute; however, in a day

day or two after the removal of these plasters, the convulsive contractions became as strong and as frequent as ever. Brimstone, in powder, was rubbed on the temples and cheeks without any visible effect. Suspecting that this convulsive disorder might perhaps proceed from worms, I prescribed a bolus of rhubarb with calomel, which the girl obstinately refusing to take, her father went to fetch a horse-whip to beat her. The fear of this affected her so strongly, that, without the bolus, the convulsions of the masseter and temporal muscles instantly ceased, and have never returned since, except once on the occasion of a fright, when they continued near an hour, and then went off without any remedy \*.”

Moeror, quanquam non tam celeriter agit, effectibus tamen certius, quam quilibet aliis ex effectibus animi deprimentibus, nocet. Vim systematis nervosi potentissime sedat, fluxum illius imminuens, et potesta-  
tem,

\* Whytt's Nervous Disorders, p. 451.

tem, quam in omnes corporis partes habet, debilitans. Quantum ad potentiam ejus sedanteam attinet, exemplum ejus admodum singulare sua in praxi notandi Culleno sagaci fuit subministrata. Mulier, loco honesto nata, post obitum confanguinei sibi admodum cari, paroxysmis somnolentiae reiteratis correpta. Hoc nonnulli insensibilitati praeter naturam magnae nullive cognati, qui fato concederat, desiderio tribuerunt, quod haud dubie a moerore diuturno nimioque profectum. Motus a voluntate pendentes debiles efficit, perspirationem \* minuit, et vim cordis circuitusque adeo languefacit, ut is, in quem invasit, frequenter suspirare cogatur, quo transitum sanguinis per pulmones promoveat. Ut corpus contagioni † in primis obnoxium evadat,

\* Robinson, Food and Discharges, p. 77. Sanctor. de Perspir. 7. n. 15. Hinc diarrhoea ex moerore, Bagliv. Hal. Elem. Phys. tom. v. p. 583.

† Intra duas horas ex peste extinctus post insignem moerorem; Recueil sur la Peste, p. 244. Haller, ibid.

evadat, et schirrus et cancer \* mirum in modum ingravescant facit. Noxas, quibus ventriculum viresque concoctrices afficere solet, hoc modo vivide depingit Baglivius : “ Qui laborant animi pathemate corripi potissimum solent morbis ventriculi : Ut inter caeteros observamus in moerentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox vero de inappetentia, oris amaritie, et siti circa horas matutinas, cruditatibus acidis et nidorosis, flatibus, et tensionibus hypochondriorum, aliisque laesae chyloseos malis †.” Gangraenam ‡ in vulneribus excitat, et debilitas summa, quam functionibus et vitalibus et naturalibus interfert, cur scorbutum, Ansonio celebri orbem terrarum circumnavigante, adeo gravem reddiderit, clare evidenterque exponit. Denique, in animo humano adeo penitus infidet,

\* Pechlin, L. iii. Obs. 21. Haller, ibid.

† Opera omnia Medico-Practica, et Anatomica, pag. 149.

‡ Dionis, p. 472. Haller, mod. citat. ibid.

det, ut etiam opio \*, remedio aliis in exemplis praesentissimo, nequeat depelli.

Priore argumenti parte, quantum potui, illustrata, proximum est ut alteram exequar.

*II. Quatenus in Morbis inferendis vel tollendis valeant Animi Affectus.*

Quod utilitatem affectuum in morbis curandis spectat, ex iis, quae de effectibus eorum in corpus supra sunt comprehensa, facile colligi potest, mihi in animo esse super hac argumenti parte quam paucissimis differere.

Excitantes affectus in melancholia circulos laetos et jucundos frequentando promovere, experientia teste, plus profuit, quam potentissima e medicamentis nervinis et exhilarantibus adhibere, quae Materiam Medicam executi tantis laudibus extulerunt. Hoc exemplo, quod bene novi, probare

\* Young, Opium, p. 28. Haller, ibid.

probare et illustrare possum. Foemina generosa, quae medium aetatem attigerat, multosque liberos pepererat, cui inerant omnes fere temperamenti melancholici notae, quanquam aliter ex toto sana, moestitia insuperabili correpta est, et notionibus, quae ab insania mera non multum alienae fuerunt, indulgere coepit. Medicus arcefitus efficacissima e remediis modo positis curavit praecipienda; sed, tribus quatuorve hebdomadis elapsis, eam semet nihilo melius habere reperit. Igitur naturam morbi compertam jam habens ei plane affirmavit, ni in publicum prodiret et hilaritati laetitiaeque semet magis dederet, se eam ad sanitatem reductum iri sperare non posse. Hoc monituque amicorum inducta rationis vivendi ei praescriptae periculum fecit, et brevi, nullis aliis remediis adhibitis, ex toto restituta est.

Quantum affectus animi ad morbos de-  
pellendos conferant, non aliunde melius,  
quam ex eo quod singulis diebus incidere  
omnes norunt, intelligi potest. Ægrotos e  
morbis

morbis per usum nugatoriorum et inertium remediorum convalescere saepissime vides-mus, quod a fiducia, quam in illis et medicis qui illa preeceperant, collocaverant, haud dubie proficiscitur. Hinc reliquis medici dotibus adjungi debent vultus placidus more-que jucundi.

Si effectus moeroris in ventriculum no-civos supra dictos attentus consideraveris, ambigi nequit, quin ei affectum toto coelo diversum excitare conando, occurrere praeci-puum dyspepsiae medendi consilium medi-co esse debeat.

Quod vero summi momenti esse, et maximam medici, quantum judicare pos-sum, attentionem mereri videtur, est hoc, e memoria nunquam excidere debere, af-fectus animum contrastantes non parum in modum morborum contagiosorum agere solere. Quandocunque igitur hi invadunt, illi ab his, quantum fieri potest, disjungan-tur, et affectus ex toto contrarii, quales sunt gaudium, spes, &c. omni ratione ex-citentur et foveantur. Qua<sup>n</sup>tum conveniat

hicce

hicce monitus, et ex iis, ut opinor, quae supra de effectibus metus comprehensa sunt, et ex iis, quae Gregorium celebrem de Peste notare audiverim, patebit, fines nempe hujusce morbi funestos numerosos, quorum memoriam tot prodiderint auctores, non, eo judice, ex toto naturae ejus malignae vel insanabili, sed magna ex parte quoque timori, quo eo conflictantes solent corripi, esse tribuendos \*.

Quam tutum adversus contagionem corpus humanum reddant affectus excitantes, exempla medicorum et theologorum, me judice, clare evidenterque testantur. Ex aequo periculo objiciuntur, et modo mirando illaesi evadunt. Hoc a mente munia rite obeundi conscientia oriatur oportet; unde alacritate insolita praediti sunt, omniq[ue] molestia, quae illis minima ex parte potest obesse, carent.

Quantum ad periculum potestatis metus tonicae et antispasmodicae in praxi facendum attinet, medici plerumque magis cauti fuerunt,

\* In praelectionibus.

fuerunt, quam necessarium esse videtur. In tenerrimis infantibus, ob singultum, ad metum, quod ipse vidi, tuto et cum successu prosperrimo fuit decursum. Nec dubitare possumus, quin in multis aliis malis gravissimis magnopere possit prodeesse, si nobiscum reputamus, quantopere furorem mania laborantium compescat, quamque frequenter dolorem dentium horrendum levet, instrumento chirurgico, ad eos extrahendos accommodato, tantum conspecto. Violentiores excitantes animi affectus, quorum effectus adeo periculosos esse sumus comperti, haud dubie, quantum in potestate nostra est, coercendi. Utrum unquam necne, ut remedia, velut ira in podagra, debeant adhiberi, admodum incertum esse videtur. Quae Cullenus sagacissimus super hac re notat, ea serio attendenda : “ There are histories of cases of the gout, in which it is said, that, by great emotions of mind, by wounds, and by other accidents, the symptoms have been suddenly relieved, and never again returned: But how far these accidental

accidental cures might be imitated by art, or would succeed in other cases, is, at least, extremely uncertain\*.”

Philosophi et theologi, et antiquiores, et recentiores, ut affectus animi leniores collantur et foveantur, ut turbulentiores vero coerceantur, enixe suadent. Quae praedicanter, ea, quod dolendum, despectui habentur. Quantum e re generis humani foret, si consiliis eorum parere sibi in animum possent inducere! Nihil, enim, ad vitam longam et beatam reddendam plus valet conferre, quam affectus animi tranquillos, et ab omni molestia immunes, servare. Hoc pulcherrime describit acutus et doctus Hallerus. “ A laetitia, vita longa potissimum sustinetur, eoque referto academicorum Parisinorum †, in sinu honestae voluptatis viventium summum senium ; et inter eos eminentem longaevitatem Fontenellii, nihil volentis vehementius, quem nec irae mordeant,

\* First Lines of the Practice of Physic, p. 396.

† Crebillonii, Duverneyi, Winslowi, &c. Elem. Phys. Hall. tom. v. p. 581.

derent, neque cupido de mentis tranquilitate exjiciret \*.”

\* \* \* \* \*

Argumento nunc ad finem perducto,  
tantum restat, ut omnibus hujus Academiae  
clarae Professoribus illustrissimis, praefer-  
tim vero celeberrimo Doctori BLACK, cu-  
jus beneficia, et publica et privata, nun-  
quam mihi ex animo excident, grates per-  
solvam.

\* Haller, ibid.

F I N I S.

deslebt, werden schöpft de werten leßendin  
jüttet exilicite".

\* \* \* \* \*

Affirmatio nunc ad hanc berengio,  
causa iustitiae in omnibus pueris Academicis  
classe Prodigiorum Iungimur, biscelet-  
rum vero celestium Regum BEAVCR, cu-  
jus penitentia, et impunita sit bittare, non-  
datur nisi ex amio exercitu, stigies det-  
toriam.

Hab. p. H.

E N D

СУАНИЧЕ ТУЧ

ДОЛЖНОСТЬ СУАНИЧЕ ТУЧ